

ditis valeant demonstrare, non solum resistamus nihil, verum **244** etiam libenter in eorum sententiam transeamus. Nam si sol cæcos, quanquam non illuminat, tamen fovet, cur non potentior sol, etsi non salvat suo merito excæcos atque damnatos, tanti pretii merito minus puniat? Si tamen hoc admittat consilii ejus benevolentia, cui canitur: *Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus (Psal. CXLIV)*. Sed huic opinioni videtur Apostolus refragari, ubi ait: *Ego Paulus dico vobis, quia si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit (Gal. III)*. Nam si nihil proderit Christus baptizatis qui etiam Spiritum sanctum acceperint, sicut idem Apostolus declarat his verbis: *Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei (Gal. V)*? Si, inquam, nihil proderit Christus talibus baptizatis a fide resiliens, quemadmodum proderit aliquid baptizatis et relapsis in crimina nec correctis et quibusque in infidelitate defunctis? Verum ne me irridendum et respuendum pronuntient quibus placet omnes sive bonos sive malos indifferenter a Christo redemptos,

A ponam unum quod cum eis faciat testimonium, et eos omnes, ut opinor, in gratiam reducere. Joannes Constantinopolitanus, doctrina et sanctitate juxta insignis episcopus, ut gratia Dei pro omnibus gustaverit mortem, quod supra jam posui, sic exposuit, qualiter gratia Dei pro omnibus gustaverit mortem, non pro fidelibus tantum, sed pro mundo universo. Et ipse quidem pro omnibus mortuus est. Quid autem si non omnes credunt? Ille quod suum erat implevit. » Eligat sane, superioribus acute consideratis, unusquisque quod optimum ei Deus occulta inspiratione suggesserit, aut magistra ejus Scriptura manifesta ratione protulerit.

245 Hæc habui quæ de tribus non spernendis quæstionibus dicerem, atque utinam tam proficue quam prolixè. Quæ si cognoscere non fastidierint studiosi, quanquam approbare non possint obtusam incultamque meam disputationem, tamen quando volentibus quod utile putavi benevole cognoscendum exposui, non improbabunt, credo, talem scilicet volentem prodesse devotionem.

B. SERVATI LUPI

FERRARIENSIS ABBATIS

246 COLLECTANEUM DE TRIBUS QUÆSTIONIBUS

Multis laudabiliter studiosis desiderantibus cognoscere ipsis auctorum verbis quem exitum habeant quæstiones de prædestinatione ac libero arbitrio, necnon de redemptione sanguinis Christi, fideliter morem gessi; ut et pie quærentium eruditio largiente Dei gratia capiat incrementum, et diversa sententiarum contradictio mitigetur. Nec aspernabitur benevolus et prudens lector, si deferam per quos profeci et proficio doctores, vel si eorum assignatis obscurioribus sententiis aliquid lucis infundam, cum eorum honoris mecum habere debeat considerationem, et facillime possit advertere, (a) non ostentationis vanitate, sed ostendendæ veritatis voto, me deprehensa monstrare. Jam itaque narratio propositum exsequatur.

(b) Cælestinus papa beatum Augustinum his verbis commendat (*epist. 8, ad episcopos Galliarum*). « Augustinum sanctæ recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistrae suspitionis saltem rumor aspersit. Quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter magistros **247** etiam a meis decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote qui ubique cunctis et

(a) *Non ostentat. vanitate.* In epistola 128: « Nec, ut quidam suspicari se simulant, inaniter, hoc est, vanæ gloriæ studio cupio innotescere.... sed asserendæ veritatis intuitu, » etc.

C amori fuerit et honori. » Hic (c) clarissimus doctor, sedis apostolicæ tanto præconio laudatus, in libro ad Laurentium de Fide, Spe, et Charitate, quem jam episcopus et senex edidit, prædestinatos bonos et malos ita insinuat (*Enchiridii cap. 100*). « Hæc sunt, inquit, magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus, et tam sapienter exquisita, ut cum angelica et humana creatura peccasset, id est, non quod ille, sed quod voluit ipsa fecisset, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est quod Creator noluit, impleveret ipse quod voluit, bene utens et malis, tanquam summe bonus, ad eorum damnationem quos juste prædestinavit ad pœnam, et ad eorum salutem quos benigne prædestinavit ad gloriam. »

D Idem in ultimo de Civitate Dei libro, quem jam episcopus composuit, expresserat (*lib. XXII, cap. 24, sub finem*). « Hæc, inquit, omnia miserorum sunt damnatorumque solatia, non præmia beatorum. Quæ igitur illa sunt, si tot et alia ac tanta sunt ista? Quid dabit eis quos prædestinavit ad vitam, qui hæc dedit etiam eis quos prædestinavit ad mortem? » In penultimo autem ejusdem tam elaborati et mirandi operis libro sic docuerat: Hæc causa qua fit ut nunc

(b) *Cælest. papa.* Eundem locum affert in libro de tribus Quæstionibus, pag. 237.

(c) *Clarissimus doctor.* Loquitur de Augustino, quem clarissimum auctorem vocat in epistola 30.

Ecclesia non oret pro malis angelis, quos suos novit esse inimicos, eadem ipsa causa est qua fiet ut in illo tunc iudicio, etiam pro hominibus (a) æterno igni cruciandis, quamvis perfecta sit sanctitate, non oret. Nunc enim propterea pro eis orat quos in genere humano habet inimicos, quia tempus est pœnitentiæ fructuosæ. Nam quid maxime pro eis orat nisi ut det illis Deus, sicut dixit Apostolus, pœnitentiam et resipiscant **248** a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur secundum ipsius voluntatem? Denique si de aliquibus ita Ecclesia certa esset ut qui sunt illi etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret quam nec pro ipso. Sed quia de nullo certa est, orat pro omnibus duntaxat hominibus inimicis suis in hoc corpore constitutis, nec tamen pro omnibus exauditur. Pro his enim solis exauditur qui etsi adversantur Ecclesiæ, ita sunt tamen prædestinati ut pro eis exaudiatur Ecclesia et filii efficiantur Ecclesiæ. Si qui autem usque ad mortem habebunt cor impœnitens, nec ex inimicis convertentur in filios, nunquid jam pro eis, id est, pro talium defunctorum spiritibus orat Ecclesia? Non. Cur ita, nisi quia in parte jam diaboli computatur qui cum esset in corpore non est translatus ad Christum? Eadem itaque causa est cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne puniendis, quæ causa est ut neque nunc neque tunc oretur pro angelis malis, quæ itidem causa et ut quamvis pro hominibus nunc vivis oretur etiam malis, tamen jam nec nunc oretur pro infidelibus impiisque defunctis. Nam pro defunctis quibusdam vel ipsius Ecclesiæ vel quorumdam piorum exauditur oratio; sed pro his quorum in Christo regenerationem, nec usque adeo vita in corpore male gesta est, ut tali misericordia iudicentur digni non esse, nec usque adeo bene, ut talem misericordiam reperiant necessariam non habere.

Item in secundo ad Marcellinum libro (cap. 17) malos prædestinatos jam episcopus ita scribit: « Ut innotescat, inquit, quod latebat, et suave fiat quod non delectabat, **249** gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates, qua ut non adjuventur in ipsis itidem causa est, non in Deo, sive damnandi prædestinati sunt propter iniquitatem superbiam, sive contra ipsam suam superbiam iudicandi, ut eruditi filii sint misericordiæ. »

Item malos prædestinatos in libro de bono Perseverantiæ, quem (b) inter vel post libros Retractationum edidit, sic sentit (cap. 11): « Quibus non vult subvenire non subvenit, de quibus in sua prædestinatione, occulte quidem, sed juste, aliud iudicavit,

(a) *Æterno igni.* Vide quæ de æterno igne diximus in notis ad Salvianum, itemque Vincentium Lirinensem.

(b) *Inter vel post libr. Retr.* Sic in libro de tribus Quæstionibus, pag. 235.

(c) *Prosper.* In Chronico nimirum. Hic est enim celebris ille Prosper, Operum D. Augustini defensor strenuissimus et doctissimus. Ejus vitæ

non est enim iniquitas apud Deum. » In eodem libro (cap. 17) nomine præscientiæ significari prædestinationem apostolico testimonio confirmant. *Non repulit*, inquit, *Deus plebem suam quam præscivit.* Hoc quod ait *præscivit*, non recte intelligitur nisi prædestinavit. « Quid autem sit prædestinare in superioribus ejusdem libri taliter definierat (cap. 17), quod fidei est memoria continendum: » Sine pœnitentia inquit, sunt dona et vocatio Dei. Namque in sua quæ falli mutarique non potest præscientia opera sua futura disponere, id omnino nec aliud quidquam est quam prædestinare. » De utrorumque prædestinatione, hoc est bonorum et malorum, non dubitavit palam in populo prædicare: *Quia dilexisti*, inquit, *me ante mundi constitutionem* (Joan. xvii). In illo enim dilexit et nos ante constitutionem mundi, et jam prædestinavit quid in fine facturus est mundi. *Pater*, inquit, *juste, mundus te non cognovit* (ibid.). quia justus es, ideo te non cognovit. Mundus quippe ille damnationi prædestinatus merito non cognovit; mundus vero quem per Christum reconciliavit sibi, non merito, sed gratia cognovit.

250 In opere autem quod ut (c) Prosper testis est, ultimum contra Juliani libros inter impetum Vandalorum in ipso dierum suorum fine composuit, gloriose in defensione Christianæ gratiæ perseverans, si loquitur: « Quid te adjuvat quod eos mihi objecisti quos expectat Dei patientia per pœnitentiam corrigendos, et ideo super illos oriri solem suum facit et pluit, cum ego tibi hædos sinistrae partis objecerim, quos usque in finem sine pœnitentia victuros in impietate et sceleribus suis ac per hoc æterno supplicio puniendos ignorare non potest, præscius omnium futurorum, nec ab eis abstinet bonum creationis suæ quibus nec nasci expediret, nec bonum nutritionis et vivificationis suæ quantum ei placuerit diurnæ, quibus mori quantocius expediret? Inter quos sunt certe plurimi, qui si ex hac vita abriperentur infantes secundum falsam vestram hæresim penitus ab omni, secundum autem catholicam fidem a damnatione gravissima tollerentur. Quid deinde illud est quod est in his sinistrae partis hædis in Dei præscientia, quæ falli non potest, igni perpetuo destinatis multi sunt qui lavacro regenerationis abluti, postea vel apostasia pereunt, vel tam facinorose flagitioseque vivunt, ut eidem sinistrae sine dubio deputentur, nec rapiuntur sicut quidam, ne malitia mutet intellectum eorum, nec ut hoc ei Deus tam magnum beneficium non conferat, fatali necessitate prohibetur, neque ut aliis conferat personarum acceptione mutatur. »

Hæc de prædestinatione sanctus Augustinus. Sed brevitarium texuit Gennadius in Catalogo virorum illustrium. Sed quoniam in vetustissimo codice Corbeiensis monasterii ea quæ de Prospero habet Gennadius paulo diversa sunt ab editis, afferam ipsum locum ex eo codice: « Prosper homo Aquitanicæ regionis, consiliarius papæ Leonis, sermone scholasticus, et assertionibus nervosus, etc.

ne forte quis audiens malos prædestinatos arbitretur Deum auctorem perditionis eorum, sicut **251** est auctor salutis eorum quos prædestinavit ad gloriam, consideret quod idem Deus (a) Adam rectum fecit, et in eo originaliter rectos nos omnes condidit. (b) Fuit enim Adam, ut ait beatus Ambrosius, et in eo fuimus omnes: periit Adam, et in illo omnes perierunt. Cum itaque omnes recti essemus in Adam, illo absque ulla necessitate peccante, sine dubio corrupti sumus peccato et divino damnati iudicio. Ex hac totius generis humani massa merito damnata cum fiunt vasa in honorem, hoc est, cum formantur electi, exuberat Dei misericordia, et sola ejus gratia corrupta salvatur natura. Ergo et quod creantur et quod salvantur Dei est, quorum alterum opificio, alterum ejus beneficio deputatur. Cum vero ex eadem massa fiunt vasa in contumeliam, hoc est, non salvandi producuntur, nihil mirum videri debet quia spontanei peccati merito damnata est massa unde creantur. (c) Quod ergo creantur, Dei est; quod damnantur, ipsorum. Et quia nesciat creationem cujuslibet rei, nedum hominis, honam esse, sponte vero commissæ culpæ ultionem justam existere? Cum itaque bonos prædestinatos audimus, creantem Deum, et ex merito damnata massa eos sua gratia liberantem intueamur; cum vero malos prædestinatos, item creantem eos Deum, et in merito damnata massa iudicio relinquentem consideremus. Et sic in utrisque creationis bonum semper nobis constabit, et vel in assumptis misericordia, vel in relictis justitia eminebit. Neque enim Deus quos condidit in perditionem impellit, sed quos non liberat a perditione per gratiam relinquit in perditione, quam vel nascendo vel postea vivendo meruerunt, **252** per (d) occultam, nec tamen reprehendam justitiam. Ita Deus, juxta beatum Apostolum, *cujas vult miseretur et quem vult obdurat* (Rom. ix), qui omnia quæcunque voluit fecit in cælo et in terra. Rectus est autem Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo. De hic qui liberantur dictum est: *Nolite timere. pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum* (Luc. xii). De his autem qui relinquuntur: *Dimisit eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis* (Psal. lxxx).

Hunc sensum beatus Augustinus in memorato libro, quem, ut ostendi, ultimum fecit, his verbis satis aperuit (*lib. i, c. 126*): « Cum dicuntur, inquit, omnes ex uno in condemnationem, ipsa massa significatur ex qua fiunt a figulo alia vasa in honorem, id est quæ assumuntur in gratiam, alia in contumelia, id est quæ ad luendum debitum relinquuntur, ut filii gratiæ id ibi donari sciant, quod si exigeretur non esset injustum, ac sic non in se ipsis, sed in Domino gloriantur. » Et post

(a) *Adam rectum fecit*. Epist. 128: « Deus Adam rectum condidit, ut sancta Scriptura docet, et originaliter in eo nos omnes rectos creavit. »

(b) *Fuit Adam*. Eadem prorsus referuntur in epistola 128.

(c) *Quod ergo creantur, Dei est*. Epist. 128: Hi

A paululum, refutans id quod Julianus scripserat: *Pietas explanavit et ratio Deum meum neminem in contumeliam formare*. « Si Deus tuus, inquit, in contumeliam neminem format, non est ipse Pauli apostoli Deus. Ille quippe de Deo vero dicebat: *O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit. Quid me fecisti sic? Annon habet potestatem figulus luti ex eadem massa aliud quidem vas facere in honorem, aliud in contumelium?* (Rom. ix.) Sed tu, videlicet artifex magnus, profers ex officina Pelagiana meliorem Deum, qui nullum vas fecit in contumeliam. » Item post aliquanta (*cap. 182*): « Non abstinet Deus bonum formationis **253** suæ etiam ab stirpe damnata. Sed si tibi displicet Deum creare quos damnet, contradic ei, si potes, ne creet eos quos malos futuros et in malignitate usque in finem perseveraturos et ob hoc sine dubitatione damnandos esse præcivit; aut ei suggere, si videtur, ut tot millia parvulorum non baptizatorum quos novit perditæ esse victuros et in æternum ignem damnante ipso cum diabolo ituros, rapi vetet ex hac vita dum sunt innocentes et boni. » Et paucis interpositis: « Cum enim, inquit, te invidiose dicere putaveris Deum creare quos damnet, cogita quanto invidiosius possit dicere alius similiter vane Deum regenerare quos damnet, cum sit in ejus omnipotentis potestate, antequam damnabiles fiant, eos de tentationibus mortalis vitæ hujus auferre. Si autem non potes ista dicere, nec Deo contradicere, nec illi sapientiæ tuum præbere consilium (*Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* (Is. xl), desine nobis introducere alterum figulum qui non facit vasa in contumeliam, et ab isto qui ea facit reprehendendo cohibere, et agnosce te, quia ut te non implices hoc sacrilegio, ideo tibi dicit Apostolus: *O homo, tu quis es ut respondeas Deo?* (Rom. ix.) Recurramus posita contentione ad apostolum Paulum, et obscurum locum ejus tanto auctore illustrante salubriter intelligamus. *Quod si volens Deus ostendere iram et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam* (ibid.).

Nam de his vasis iræ et vasis misericordiæ **254** et sæpe alias et in epistola ad Optatum episcopum (*epist. 157*) quid sit sentiendum, idem auctor luculenter expressit: « Cur autem, inquit, creantur etiam illi quos Creator novit ad damnationem, non ad gratiam pertinere, beatus Apostolus tanto succinctori brevitate quanto majore auctoritate commemorat. Deum enim, dicit, volentem ostendere iram et demonstrare potentiam suam, attulisse in multa patientia vasa iræ quæ perfecta sunt in per quod creantur, Dei donum est; quod puniuntur, malum ipsorum. »

(d) *Occultam, nec tamen rep.* Et hæc ex familiarioribus et suetis Lupi loquendi formis, ut dictum est ad pag. 225.

ditionem, ut notas faceret divitiis gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quem superius dixerat, tanquam figulum luti, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam. Merito autem videretur injustum quod fiunt inde vasa iræ ad perditionem, si non esset ipsa universa ex Adam massa damnata. Quod ergo fiunt inde nascendo vasa iræ pertinet ad debitam pœnam; quod autem fiunt renascendo vasa misericordiæ, pertinet ad indebitam gratiam. Ostendit ergo Deus iram suam, non utique animi perturbationem, sicut est quæ ira hominis nuncupatur, sed justam fixamque vindictam, quod de stirpe inobedienciæ ducitur propago peccati atque supplicii; et homo natus ex muliere, sicut in libro Job scriptum est (*Job xiv*), brevis est vitæ et plenus iracundiæ: ejus enim rei vas est qua plenus est, unde vasa iræ dicuntur. Ostendit et potentiam suam, qua bene utitur etiam malis, multa in illis naturalia et temporalia bona largiens, eorumque malitiam ad exercendos et comparatione admonendos bonos accommodans, ut in eis discant agere gratias Deo quod ab eis, non suis meritis, quæ in eadem paria fuerunt, sed in illius miseratione discreti sunt. Quod maxime 255 apparet in parvulis; de quibus cum per Christi gratiam renascuntur, et istam vitam in illa tenera ætate finientes in æterna transeunt et beatam, dici non potest quod libero discernuntur arbitrio ab aliis infantibus qui sine hac gratia in ipsius massæ damnatione moriuntur. Si autem hi soli crearentur ex Adam qui essent per gratiam recreandi, et præter illos qui in Dei filios adoptantur, nulli alii homines nascerentur, lateret beneficium quod donaretur indignis, quia nullis ex eadem damnabili stirpe venientibus debitum supplicium redderetur. Cum vero attulit in multa patientia vasa iræ quæ perfecta sunt in perditionem, non solum ostendit iram et demonstravit potentiam suam, redhibendo vindictam, et bene utendo non bonis, sed etiam notas fecit divitiis gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Ita enim quid sibi præstetur discit gratis justificatus, dum non suo merito, sed gloria largissimæ Dei misericordiæ discernitur a damnato, cum quo eadem justitia fuerat et ipse damnandus. Tam multos autem creando nasci voluit, quos ad suam gratiam non pertinere præscivit, ut multitudine incomparabili plures sint eis quos in sui regni gloriam filios promissionis prædestinare dignatus est, ut etiam ipsa rejectorum multitudine ostenderetur quam nullius momenti sit apud Deum justum quantalibet numerositas justissime damnatorum. Atque ut hinc quoque intelligant qui ex ipsa dam-

(a) *Vir sanctus.* Locus Hieronymi Augustinum laudantis. Et constat Augustinum fuisse superstitem Hieronymo. Itaque Augustinum etiam viventem, sanctum viro vocat pro more sui sæculi, de quo more nos pluribus diximus ad Salvianum, neque repeti est opus. Adde tamen visum est insignem locum ex libro primo sancti Gregorii de Cura pastoralis, cap. 41. Loquens enim vir sanctus de malis episcopis, hæc gemebundus in clamat: « Nemo quippe amplius in Ecclesia nocet, quam qui per-

natione redimuntur hoc fuisse debitum massæ illi universæ quod tam magnæ parti ejus redditum cernerent, non solum in eis qui originali peccato multa addunt malæ voluntatis arbitrio, verum etiam in tam parvulis, 256 qui tantummodo vinculo peccati originalis obstricti sine gratia mediatoris ex hac luce rapiuntur. Tota quippe ista massa justæ damnationis reciperet debitum, nisi ex ea faceret, non solum justus, sed etiam misericors figulus, alia vasa in honorem secundum gratiam, non secundum debitum, dum et parvulis subvenit, quorum nulla merita dici possunt, et majores prævenit, ut habere aliqua merita possint. »

Prædestinatos malos in opere beati Augustini ad Marcellinum (*Adversus Pelagianos* libro III, in fine) clarissimus auctor Hieronymus legit, et id opus non solum non reprehendit, verum etiam magnis laudibus extulit. Verba ejus hæc sunt: « Scripsit dudum (a) vir sanctus et eloquens episcopus Augustinus ad Marcellinum, qui postea sub invidia tyrannidis Heraclianæ ab hæreticis innocens cæsus est, duos libros de infantibus baptizandis contra hæresim vestram, per quam vultis asserere baptizari infantes non in remissionem peccatorum, sed in regnum cælorum. Tertium quoque ad eundem Marcellinum contra eos qui dicunt idem quod vos, posse hominem, sine peccato esse, si velit, absque Dei gratia. Unde supersedendum huic labori censeo, ne dicatur mihi illud Horatii: *In silvam ne ligna feras.* Aut enim eadem dicemus ex superfluo, aut si nova voluerimus dicere, a clarissimo ingenio occupata sunt meliora. »

Idem doctor alio verbo sensum prædestinationis expressit in explanatione primi psalmi: *Qui autem non credit, inquit, jam iudicatus est: jam enim præjudicatus ad pœnam est.* Et post pauca: « *Non resurgunt, inquit, impii in iudicio, non resurgunt ut iudicentur, qui jam iudicati sunt.* 257 Qui enim non credit in me, jam iudicatus est. »

Item in Dialogo: « Aliud est cædere magistri et parentis affectu, aliud contra adversarios crudeli animo desævire. Quam ob causam et in primo psalmo canit, quoniam non resurgunt impii in iudicium: jam enim in iudicium præjudicati sunt. »

Idem in explanatione Isaïæ prophetæ (*cap. xxiv*): « *Pro dissipata terra lxx corruptum orbem interpretati sunt; et pro afflictâ facie illius, id est terræ, iidem transtulerunt, et revelabit faciem ejus, ut procedant mortui de sepulcris suis; sive nudabit eam, ut omnia opera ejus proferantur in publicum,*

verse agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc nemo redarguere præsumit; et in exemplum culpæ vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. » In eodem modum de religiosis, id est clericis, in universum dixit Salvianus lib. v, pag. 117: « Qui scilicet, inquit, post veterum flagitiorum probra et crimina titulo sibimet sanctitatis inscripto, non conversatione aliis, sed professione nomen tantum demutavere, non vitam. »

et dispergantur habitatores in diversa loca, præmiis vel suppliciiis destinati. »

Non contemnendus auditor ejusdem Hieronymi Philippus in expositione sententiæ beati Job: *Antequam dies ejus impleantur peribit* (Job xv). Tunc dies, inquit, unicujusque impleri dicitur cum bonorum hominum ac malorum retributio venerit. Hic ergo homo, sive diabolus, ante perspicuæ sententiæ diem quam ei Dominus in futuro judicio daturus est, præscitus in prædestinatione peribit, sicut et de incredulis Propheta dicit: *Non resurgent impii in judicio* (Psal. 1); vel Dominus ait in Evangelio: *Qui autem non credit, jam judicatus est* (Joan. III).

Sanctus papa Gregorius prædestinatos malos pressiore adhuc verbo insinuat (*lib. xxxiii, cap. 11*). « Leviathan, inquit ille, qui cum membris suis æternis est cruciatibus deputatus, et dolus in manu ejus dirigitur, et in cælo ejus fortitudo demoratur, hoc quod temporaliter perversa contra bonos voluntate desiderat, perversiore facultate consummat, **258** ut tanto ei de adversitate in præsentis nihil obstet quando ei in posterum de prosperitate nihil remanet. » Eadem tamen prædestinatio vel deputatio, quemadmodum sit intelligenda exponens in *Moralibus*: « *Non quasi, inquit, crudelis suscitabo eum. Quis enim resistere potest vultui meo, et quis ante dedit mihi ut reddam ei?* » aperte insinuat. Non eum, inquit, quasi crudelis suscito, quia de ejus fortitudine et electos meos potenter eripio, et rursus reprobos non injuste sed rationabiliter damno, id est, et eos quos benigne eligo eripere mirabiliter possum, et eos quos respuo non injuste derelinquo. » Et post aliquanta: « Miro modo, inquit, æquus omnibus Conditor et quosdam præeligit et quosdam in suis reprobis moribus juste derelinquit. » Item in *Moralibus* exponens (*Moral. lib. II, cap. 5*): *Si destruxerit, nemo est qui ædificet; si incluserit hominem, nullus est qui aperiat* (Job XII). « Omnipotens, inquit, Deus humanum cor destruit cum relinquit, ædificat dum replet. Neque enim humanam mentem debellando destruit, sed recedendo, quia ad perditionem suam sufficit sibi dimissa. » Item post aliquanta (*cap. eod.*): « *Si incluserit hominem, nullus est qui aperiat*. Quia sicut nemo obsistit largitati vocantis, ita nullus obviat justitiæ relinquentis. Includere itaque Dei est, clausis non aperire. Unde et ad Moysen dicitur de Pharaone, ego obdurabo cor ejus. Obdurare quippe per justitiam dicitur quando cor reprobum per gratiam non emollit. »

Idem in explanatione evangelicæ sententiæ (*homil. IV, in Evang.*): *In viam gentium ne abieritis* (Matth. 10): « Subtily, ait, occultoque judicio a quorumdam auribus prædicatio **259** sancta subtrahitur, quia suscitari per gratiam non merentur.

(a) *Tamenetsi*. Pro *tamenetsi*: quam vocem, quæ jam ita excoleverat, ut prope a nemine agnosceretur, retraxit ex fuga summus et cum illis veteribus comparandus J. C. Jacobus Cujacius, ut Muretus noster

A Unde necesse est, fratres charissimi, ut in omne quod agimus, omnipotentis super nos Domini consilia occulta timeamus; ne, dum mens nostra exterius fusa a sua se voluntate non revocat, intus contra eam judex terribiliter adversa disponat. Quod bene Psalmista intuens ait: *Venite et videte opera Domini, quam terribilis in consiliis super filios hominum* (Psal. LXV). Vidit namque quod alius misericorditer vocatur, alius justitia exigente repellitur. Et quia alia parcendo Dominus, alia irascendo disponit, expavit quod penetrare non potuit, et quem non solum investigabilem in quibusdam suis sententiis, sed etiam inflexibilem vidit, terribilem in consiliis esse memoravit. » Beda, divinis litteris impense doctus, bonos malosque prædestinatos, exponens illud Genesis: *Surgite, egredimini de loco isto, quia delebit Dominus civitatem hanc, et visus est eis quasi ludens loqui* (Gen. XIX), indubitanter asseruit. « Quod ostium, inquit, Lot obcluserunt angeli, ne vel ipsum vel aliquem de domo ipsius possent ad perdendum rapere Sodomitæ, patenter insinuat quia nullum de electis Dei perditura est impietas et persecutio reproborum, dicente Domino de ovibus suis: *Et ego vitam æternam do iis, et non peribunt in æternum, et non rapiet eos quisquam de manu mea* (Joan. X). Quod item Lot, facultate ab angelis data, nullum de civibus perfidis, ne de suis quidem cognatis sive amicis, (a) tamenetsi multum conatus, potuit ad salutem revocare, significat quod nullius labor hominis ad numerum prædestinatorum qui ante constitutionem mundi **260** electi sunt a Domino, vel unam possit animam adjicere. Novit enim Deus qui sunt ejus. Verum etsi nostram fragilitatem qui ad electorum sortem pertinent latet, non tamen ab agenda cura nostræ salutis cessandum, nec ab instruendis proximis lingua est continenda; sed ad exemplum beati Lot et nobis caste vivendum, et errantium quoque correctioni officium pietatis impendendum. Constat enim quod etsi prædestinatos ad interitum salvare nequimus, nostræ tamen benignitatis, quam erga illorum salutem impendimus, mercedam non perdimus. »

Sanctus Fulgentius, Ruspensis provinciæ Africanæ episcopus (ut scribit Joannes Romanæ Ecclesiæ diaconus), in libro ad Petrum de Regula veræ fidei, de prædestinatis, hoc modo disserunt (*de Fide ad Petr., c. 35*): « Firmissime tene et nullatenus dubites omnes quos vasa misericordiæ gratuita bonitate Deus facit ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædestinatos a Deo, neque perire posse aliquem eorum quos Deus prædestinavit ad regnum, nec quemquam eorum quos Deus non prædestinavit ad vitam ulla posse ratione salvari. Prædestinatio enim illa gratuitæ donationis est præparata in libro XI Var. Lect., cap. 17, ubi affert plurima testimonia, quibus probet eam esse relinendam. Ea rursum utitur Lupus col. 25 .

ratio, qua nos Apostolus ait prædestinatos in adoptionem filiorum Dei per Jesum Christum in ipsum. »

Item Fulgentius in libro ad Monimum (cap. 5.) sensum beati Augustini de prædestinatis ad interitum his verbis expressit : « Nihil aliud, inquit, accipiendum existimo in illo sancti Augustini sermone, quod ad interitum quosdam prædestinatos firmat, nisi ad interitum supplicii, non delicti, neque ad malum quod injuste admittunt, sed ad cruciatum quem justissime patientur; nec ad peccatum, quo primæ resurrectionis beneficium aut non accipiunt aut amittunt, sed ad tormentum quod illis propria iniquitas male parit et æquitas divina bene retribuit; nec ad mortem animæ primam, in qua nascuntur parvuli, vel in quam, sicut beatus Jacobus dicit (Jac. 1), concupiscentia sua abstracti et illecti recidunt criminosi; sed ad mortem secundam, quam necesse est patientur, retribuente justissimo iudice; seu qui ante perceptam gratiam baptismi discedunt de sæculo; sive qui in vacuum gratiam Dei recipientes, post acceptum baptismum usque in finem præsentis vitæ malunt servi esse peccati, nec volunt, dum tempus est acceptabile, et dies salutis, converti a via sua mala ut vivant, et ignorantes quoniam benignitas Dei ad penitentiam eos adducit, ipsi secundum duritiam suam et impœnitens cor thesaurizant sibi iram in die iræ et revelationis justi iudicii Dei. »

Item (a) Joannes Ecclesiæ Romanæ diaconus prædestinatos malos sermonibus beati Augustini expressit, volens ostendere quid significet illud Genesis (cap. 1) : *Congregentur aquæ quæ sub cælo sunt in locum unum, et appareat arida* : « Quid est, inquit, arida. In Ecclesia arida vocatur omnis anima sitiens Dominum. Segregatæ sunt enim aquæ, et apparuit arida. Mare hoc sæculum est, et aquæ quæ sunt amaræ segregatæ sunt, et congregatæ in congregatione una, id est prædestinatæ in unum finem, quo dirigit Deus omnipotens quos separata sanctis. »

Isidorus episcopus in libro Sententiarum (lib. II, c. 6) : « Gemina est, inquit, prædestinatio, sive electorum ad requiem, sive reproborum ad mortem. » Hunc tamen quidam reprehendendum putant quod geminam, hoc est, duplicem prædesti-

(a) *Joannes Diaconus*. Hujus est ergo expositio in Heptateuchum. An vero auctor quoque sit Vita sancti Gregorii papæ, non adeo exploratum habetur.

(b) *Docto viro*. Isidoro.

(c) *Ad doctores*. Nimirum docendi, ut statim dicit Lupus. Nam *discere prius quisque debet antequam doceat*; ut in epistola 25 scribit Hormisda pontifex Romanus. Unde et hæc Cælestinus papa scribebat ad episcopos provinciarum Viennensis et Narbonensis : « Sciatis quod sibi omnes qui male docent discere magis ac magis competat quam docere. » Julianus quoque Pomerius, haud multo post Cælestinum, graviter conquerebatur in libro III de Vita contemplativa cap. 40 esse quosdam qui *gestiunt docere quod nesciunt*. Quod etiam dolet S. Gregorius in prologo ad librum primum Curæ pastoralis. Eandem querelam acrius movet Hieronymus, pro more suo, in epistola ad Paulinum presbyterum :

A nationem solus introduxerit, cum simplex Dei natura simplici, hoc est una prædestinatione secundum eos bonos malosque complexa sit. Qui si intueantur alios esse qui ad dexteram gratia statuuntur, alios qui ad sinistram justitia relinquuntur, tamenetsi sit, ut volunt, simplex prædestinatio, duplicem ejus non negabunt effectum, cum aliud sit debitam pœnam luere, aliud gratuitam gloriam reportare. Nec (b) docto viro verbi calumniam ulterius nisi contentione impudentissima commovebunt. A qua tamen ut tandem aliquando conquiescant, et docturi prius (c) ad doctores accedant docendi, non judicaturi; recenseant sententiam Dei ad beatum Job : *Nunquid nosti, inquit, ordinem cæli, et pones rationem ejus in terra?* (Job. xxxviii.) et beatum Gregorium et summe doctum et mire facundum in ejus explanatione prædestinationes plurali numero possuisse invenient (*Moral.* lib. xxx, cap. 48). « Ordinem, inquit, cæli nosse, est supernarum dispositionum occultas (d) prædesinationes videre; rationem vero ejus in terra ponere, est ante humana corda talium secretorum causas aperire. »

De libero Arbitrio beatus Augustinus in libro ad Laurentium quid sentiendum his verbis ostendit. Libero arbitrio male utens homo et se perdidit et ipsum. Sicut enim qui se occidit, utique vivendo se occidit, sed se occidendo non vivit, nec se ipsum poterit resuscitare cum occiderit, ita cum libero peccaret arbitrio, victore peccato amissum est et liberum arbitrium. A quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est. Petri certe apostoli est ista sententia : quæcum vera sit, qualis, quæso, potest servi addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim servit qui sui domini voluntatem libenter facit, ac per hoc ad peccandum liber est qui peccati servus est. Unde ad juste faciendum liber non erit, nisi a peccato liberatus, esse justitiæ ceperit servus. Ipsa est vera libertas propter recti facti licentiam, simul et pia servitus propter præcepti obedientiam. Sed ad bene faciendum ista libertas unde erit homini addicto et vendito, nisi eum redimat cujus illa vox est : *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis?* (Joan. viii.) Quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quisquam de libero arbitrio

« Sola Scripturarum ars est, inquit, quam sibi passim omnes vindicant. Scribimus indocti doctique poemata passim Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent ante quam discant. » Quin et Bernardus quoque in hoc argumento vehemens esse videtur, dum hæc scribit in capite secundo de Vita sancti Malachiæ : *Legant hoc qui docere quæ non didicere conantur*. His nos videlicet exemplis ac documentis instruxit antiquitas; ut intelligeremus vitandam in primis esse arrogantiam ac prius discere nos oportere quam alios docere præsumamus. Vide sanctum Gregorium in libro I de Cura pastoralis cap. 1.

(d) *Prædesinationes*. Huic aucteritati se sufficienter respondisse ait Hincmarus in cap. 38 posterioris operis adversus Gotteschalcum, in capite secundo epilogi.

in bono gloriatur opere, qui nondum est liber ad operandum bene? (cap. 31.) Nisi se vana superbia inflatus extollat, quam cohibet Apostolus dicens: *Gratia salvi facti estis per fidem (Ephes. II)*; et ne ipsam sibi saltem fidem sic arrogarent ut non intelligerent divinitus esse donatam, sicut idem Apostolus alio loco se dicit ut fidelis esset misericordiam consecutum, hic quoque adjunxit atque ait, *et hoc non ex vobis, sed Dei donum est (I Cor. VII)*, non ex operibus, ne forte quis extollatur. Et ne putarentur fidelibus bona opera defutura, rursus adjecit: *Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulamus (Ephes. II)*. Tunc ergo efficitur vere liberi, cum Deus non fingit, id est format et creat, non ut homines, quod jam fecit, sed ut boni homines simus, quod nunc gratia sua facit, ut simus in Christo Jesu nova creatura, secundum quod dictum est: *Cor mundum crea in me, Deus (Psal. L)*. Neque enim cor ejus, **264** quantum pertinet ad naturam cordis humani, non jam creaverat Deus (cap. 22). Item ne quisquam, etsi non de operibus, de ipso gloriatur libero voluntatis arbitrio, tanquam ab ipso incipiat meritum, cui tanquam debitum reddatur præmium bene operandi ipsa libertas, audiat eundem gratiæ præconem dicentem: *Deus enim est qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate (Philipp. II)*, et alio loco: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei (Rom. IX)*, cum procul dubio, si homo ejus ætatis est ut ratione jam utatur, non possit credere, sperare, diligere, nisi velit, nec pervenire ad palmam supernæ vocationis Dei, nisi voluntate cucurrerit. Quomodo ergo *non volentis, neque currentis*, nisi quia et ipsa voluntas, sicut scriptum est, a Deo præparatur?

Item in libro de Correptione et Gratia (cap. 4): « Liberum, inquit, arbitrium et ad malum et ad bonum faciendum consistendum est nos habere. Sed in malo faciundo liber est quisque justitiæ servusque peccati; in bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo qui dixit: *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis (Joan. VIII)*. Nec ita ut cum quisque fuerit a peccati damnatione liberatus, jam non iudigeat sui liberatoris auxilio; sed ita potius ut ab illo audiens, *sine me nihil potestis facere (Joan. XV)*, dicat ei et ipse: *Adjutor meus es, ne derelinquas me (Psal. XXVI)*. » Item post multa: « Liberum, inquit, arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parvum est, nisi adjuvetur ab omnipotente bono. » Item in libro de Dono perseverantiæ (cap. 7): « Qui non infertur in tentationem, non discedit a Deo: non est hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt, peccato resistere, quod tamen fuerat in homine antequam caderet. »

265 Idem auctor in memorato opere contra Julianum. « Hominis, inquit, liberum arbitrium congenitum, et omnino inamissibile, illud est quo beati esse omnes volunt, etiam ii qui ea nolunt quæ ad beatitudinem ducunt. » Item post multa: « Quid sic

A fugit natura ut miseriam? quid sic appetit ut beatitudinem? Denique liberum arbitrium quod de hac re habemus ita nobis naturaliter insitum est ut nulla miseria nobis possit auferri, quod miseri esse volumus, et volumus beati, usque adeo ut etiam ipsi qui male vivendo sunt miseri, male vivere quidem velint, nolint tamen esse miseri, sed beati. Hoc est illud arbitrium in nostris mentibus immobiliter fixum, non quo bene agere volumus (nam id humana iniquitate potuimus amittere, et gratia possumus divina recipere), sed liberum arbitrium, quo beati esse volumus, et miseri nolumus, nec miseri possunt amittere, nec beati. » Item post pauca: « Hoc liberum arbitrium adjuvatur per Dei gratiam, ut quod naturaliter volumus, hoc est: beate vivere, bene vivendo habere possimus. » Quod reatus peccati regeneratione, hoc est, baptismate solvatur, conflictus autem ejus adhuc maneat, in eodem opere memoratus auctor expressit: « Quid litigas, inquit, de concupiscentia litigante, hoc est, de lege in membris repugnante legi mentis? Lex peccati dicitur, quia suadet peccata, atque, ut ita dixerim, jubet, et si ei mente serviatur, sine excusatione peccatur. Peccatum dicitur ipsa concupiscentia, quia peccato facta est, appetitque peccare. Reatus ejus regeneratione solutus est, conflictus ejus ad agonem relictus est. Malum ejus clarum est. Non viribus nostræ voluntatis, **266** ut putas, huic obsistimus, nisi divinitus adjuvemur. Debellandum hoc malum est, non negandum; vincendum est, non differendum. » Item post rerum aliarum amplissimam disputationem: « Tam, inquit, malignum est hoc sæculum ut nisi exitum hinc fuerit, promissa requies nobis adesse non possit. Quamvis per prævaricationem primi hominis labor posteris ejus advenerit, tamen etiam reatu prævaricationis illius quem traximus jam soluto, ut fidei exerceatur examen, labor remanet ad certamen. Oportet enim nos certare cum vitiis et in ipso certamine laborare donec donetur nobis adversarium non habere. Quapropter ut boni præliatores perducantur ad præmia, supplicia vertuntur in prælia. Parvulorum quoque soluto reatu originaliter, propterea labores manent, quamvis ex ipso reatu doceantur exorti, quia etiam sic Deo placuit fidem probare majorum. **A** quibus enim offeruntur ut regenerentur, qualis et quanta fides esset rerum invisibilium, si visibilis remuneratio continuo sequeretur, ac non potius, dilata requie quæ promittitur, ageretur fidei negotium cum corde, non cum oculis, ac sic futurum sæculum, ubi nulli labores erunt, quod nundum videtur et crederetur sincerius et desiderabilius quæreretur; ac per hoc Deus labores nostros, id est pœnas nostras ad utilitates nostras mirabili benignitate convertit. » Item in eodem opere; « Quoniam post pristinam ruinam, inquit, tam gravem ut in hujus mortalitatis miseriam caderemus, prius Deus nos certare voluit, donans nobis ut ejus agamur Spiritu, et mortificemus opera carnis, atque ipso dante victoriam per Dominum nostrum Jesum **267** Christum in æterna

cum illo postea pace regnemus, profecto nisi Deus adsit, nemo est idoneus certare cum vitiis, ne sine certamine pertrahatur ab eis, aut ne jam certans in ipsa eorum conflictatione vincatur. Ideo in hoc agone magis nos Deus voluit orationibus certare quam viribus, quia et ipsas vires, quantas hic habere nos competit, ipse subministrat certantibus quem rogamus. Si ergo ii quorum contra carnem jam spiritus concupiscit ad singulos actus indigent Dei gratia ne vincantur, qualem libertatem voluntatis habere possunt qui nondum de potestate eruti tenebrarum, dominante iniquitate, nec certare cœperunt, aut si certare voluerunt, nondum liberatæ voluntatis servitute vincuntur? » Item in libro Retractationum priore : « Perfectio, inquit, boni est ut nec ipsa concupiscentia peccati sit in homine; cui quidem, quando bene vivitur, non consentit voluntas; verumtamen non perficit bonum, quia inest adhuc concupiscentia, cui repugnat voluntas. Cujus concupiscentiæ reatus in baptisate solvitur, sed infirmitas manet, cui, donec sanetur, omnis fidelis qui bene proficit studiosissime reluctatur. »

Alterum (a) lumen tractatorum Hieronymus in Dialogo : « Non ideo, inquit, peccavit Adam quia Deus hoc futurum noverat, sed præscivit Deus quasi Deus quod ille erat propria voluntate facturus. » Item post aliquanta : « Dominus inquit ad discipulos : *Ego sum vitis, vos rami; qui manet in me, et ego in eo, iste afferet fructum multum, quia sine me nihil potestis facere* (Joan. xv). Sicut rami et folia vitium illico contabescunt cum fuerint a matrice præcisa, ita omnis hominum fortitudo marcessit et deperit, si a Dei auxilio deseratur. *Nemo, inquit, potest venire ad me nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* (Joan. vi). Quando dicit, *nemo potest venire ad me, frangit superbientem arbitrii libertatem, quod etiam si velit ad Christum pergere, nisi fiat illud quod sequitur, Pater meus cœlestis traxerit eum, ne quidquam cupiat, frustra nitatur. Simul et hoc animadvertendum quod qui trahitur, non sponte currit, sed aut retractans, aut tardus, aut invitus adducitur. Qui non potest suis viribus et labore venire ad Jesum, quomodo potest omnia simul peccata vitare, et vitare in perpetuum? »*

(b) Cœlestinus etiam papa, magnis annumerandus doctoribus, de libero arbitrio, ut tantum pontificem

(a) *Lumen tractatorum*. Sic eundem Hieronymum Claudianus Mamertus vocat potissimum tractatorum in libro secundo de statu Animæ, cap. 9. Tractatores autem dicti, sacrarum litterarum interpretes et doctores, cujusmodi fuit Hieronymus, ut etiam docet Lupus in epistola tertia. Vocabulum hoc natum putat Sirmondus ævo Vincentii Lirinensis, ob istum locum ex Commonitorio Peregrini : *Doctores, qui tractatores nunc appellantur*. Tamen ante Vincentium tractandi verbo usi erant Tertullianus et Cyprianus, pro eo quod nos dicimus *docere*. Tertullianus enim in capite secundo libri de Resurrectione carnis, conquerens de versutia hæreticorum, qui semper obscuris falsa involvunt, ne intelligantur, neve latus aperiant defensoribus veræ fidei, ait : « Hæretici, ex conscientia infirmitatis, nunquam ordinarie tra-

deciuit, universos instituit. Ex ejus decretis verba hæc sunt (cap. 3) : « In prævaricatione, inquit, Adæ, omnes homines naturalem possibilitatem et innocentiam perdidisse clarum est, et neminem de profundo illius ruinæ posse consurgere nisi eum gratia miserentis Dei erexerit. » Item (cap. 6) : « Neminem etiam, inquit, baptismatis gratia renovatum idoneum esse ad superandas diaboli insidias et ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit. » Item (cap. 7) : quod nemo nisi per Christum libero bene utatur arbitrio, hinc et Innocentium papam adhibet testem posita ejus sententia (*Innocentius in epist. ad Milevitanum concilium* : « Adverte tandem, o pravissimarum mentium perversa doctrina, quod primum hominem ita libertas ipsa decepit ut dum indulgentius frenis ejus utitur, in prævaricationem præsumptione conciderit. Nec ex hac potuit erui, nisi ei providentia regenerationis statum pristinae libertatis Christi Domini reformasset adventus. » Item Cœlestinus (*Post epist. 3 Cœlestini*, cap. 8), « quod omnia studia et omnia opera ac merita sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda sunt, quia nemo ei aliunde placet nisi ex eo quod ipse donaverit (cap. 9). » Item : « quod ita Deus in cordibus hominum atque in ipso libero operetur arbitrio ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit, quia non nisi per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. » Item (cap. 10) : « Quisquis dixerit, ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere jubemur per liberum arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tanquam etsi gratia non daretur, non quietem facile, sed tamen possemus etiam sine illa implere divina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait, sine me difficilius potestis, sed, sine me nihil potestis facere. »

Sanctus quoque papa Gregorius, bonis omnibus Latini sermonis capacibus suæque doctrinae pie studiosis plurimum collaturus, humani arbitrii proprietatem subtiliter ac suavitate solita homilia nona in Ezechielem expressit : « *Audivi, inquit, vocem sequentis, et dixit ad me : Filii hominis, sta super pedes tuos, et loquar tecum* (Ezech. ii). Ubi adhuc subditur, *et ingressus est in me Spiritus postquam locutus est*

stant. » Cyprianus vero in epistola 52, ad Antonianum, tractandi vocem manifeste usurpavit pro eo quod vulgo *docere* dicimus. Ait enim : « Episcopo tractante cognoveram non sacrificandum idolis. » Et iterum in epistola 56 : « Nec quisquam. fratres dilectissimi, cum populum nostrum fugari conspexerit metu persecutionis et spargi, conturbetur, quod collectam fraternitatem non videat, nec tractantes episcopos audiat. » Vide Juretum in notis ad epistolam septimam Ivonis Carnotensis.

(b) *Cœlestinus papa*. Hinc patet existimasse Lupum Cœlestini esse excerpta illa de Gratia Dei et libero hominis arbitrio. Sed et illud affirmare possum, in ea quoque sententia fuisse magnum virum, Petrum de Marca archiepiscopum Parisiensem.

miii, et statuit me super pedes meos. Ecce divina vox jacenti prophetæ jussit ut surgeret. Sed surgere omnino non potest, nisi in hunc omnipotentis Dei spiritus intrasset, quia ex omnipotentis Dei gratia ad bona opera conari quidem possumus, sed hæc implere non possumus, si ipse non adjuvat qui jubet. Sic **270** Paulus cum discipulos admoneret dicens : *Cum metu et tremore vestram ipsorum salutem operamini (Philip. 11),* illico quis in eis hæc ipsa bona operaretur adjunxit dicens : *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.* Hinc est quod ipsa Veritas discipulis dicit : *Sine me nihil potestis facere (Joan. xv).* Sed in his considerandum est quia si bona nostra sic omnipotentis Dei dona sunt ut in eis aliquid nostrum non sit, cur nos quasi pro meritis æternam retributionem quaerimus? Si autem ita nostra sunt ut dona Dei omnipotentis non sint, cur ex eis omnipotenti Deo gratias agimus? Sed sciendum est quod mala nostra solummodo nostra sunt, bona autem nostra et omnipotentis Dei sunt et nostra : quia ipse aspirando (a) nos prævenit ut velimus, qui adjuvando subsequitur ne inaniter velimus, sed possumus implere quæ volumus. Præveniente ergo gratia, et bona voluntate subsequente, hoc quod omnipotentis Dei donum est, fit meritum nostrum : quod bene Paulus brevi sententia explicat, dicens : *Plus illis omnibus laboravi (I Cor. xv) :* qui ne suæ videretur virtuti tribuisse, adjunxit ; *non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Quia enim cælesti dono præventus est, quasi alienum se a bono suo opere agnovit, dicens : *Non autem ego ; sed quia præveniens gratia liberum in eo arbitrium fecerat in bono, quo libero arbitrio eandem gratiam est subsecutus in opere, adjunxit ; Sed gratia Dei mecum ; ac si diceret : In bono opere laboravi, non ego, sed et ego. In eo autem quod solo Domini dono præventus sum, non ego ; in eo enim quod donum voluntate subsecutus sum, et ego. »* Pro quibus effusus sit et quos redemerit sanguis Domini **271** sanctus Augustinus in libro ad Laurentium his verbis declarat (*In Enchiridio, cap, 61*) : « Hæc quæ in sanctis angelis et virtutibus Dei est Ecclesia, tunc nobis sicuti est innotescet cum ei conjuncti fuerimus in finem ad simul habendam beatitudinem sempiternam. Ista vero quæ ab illa peregrinatur in terris eo nobis est notior quo in illa sumus, et quia hominum est, quod et nos sumus. Hæc sanguine Mediatoris nullum habentis peccatum ab omni est redempta peccato. Ejus vox est : *Si Deus pro nobis,*

(a) *Nos prævenit.* Epist. 4 : « Siquidem sua nos Deus gratia, ut velle ac posse aliquid boni queamus, et prævenit et subsequitur. »

(b) *Formam servi.* Hæc verba, (inquit Rigaltius in libro de Pulchritudine corporis Christi, pene significant Christum non habuisse formam imperio digeam. Sed locum hunc alio traxit Petrus Clarævaldensis anno 1353. Scribens enim longissimam epistolam, sub nomine Jesu Christi, ad Innocentium VI papam et curiam Romanam, ipsum Christum sic loquentem inducit in capite 18 : « Executionem autem rerum temporalium non faciliter volumus ad-

A *quis contra nos? qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum (Rom. viii).* » In Ecclesia enim, quæ sanguine Mediatoris nullum habentis peccatum ab omni est redempta peccato, intelligit esse omnes qui apostolico testimonio comprehenduntur, quod est *pro nobis omnibus tradidit eum.*

Item idem auctor in opere memorato contra Julianum : « Redimuntur, inquit, quicumque redimuntur ab eo qui venit quærere quod perierat ; qui et antequam veniret in carne, per ipsam fidem redemit, qua credebatur esse venturus. Redimuntur autem in libertatem beatitudinis sempiternam, ubi peccato jam servire non possint. » Et manifestissime explanans populi sancti Evangelii locum secundum Joannem : *Vos non creditis quia non estis ex ovibus meis (Joan. x) :* « Quomodo, ait, istis dixit, *non estis ex ovibus meis?* quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos. »

Item ad Pollentium libro priore : « Sicut omnis, inquit, qui Christi sanguine redemptus est homo est, non tamen omnis qui homo est etiam sanguine Christi redemptus est, ita omne quod licet **272** non expedit, nec tamen omne quod non expedit etiam non licet. » Beatus quoque Hieronymus Commentario in Matthæum se idem sentire manifestat his verbis : « Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare (*Matth. xx*). » Nota quod crebro diximus eum qui ministret filium appellare hominis et dare animam suam redemptionem pro multis, quando (b) formam servi accepit ut pro mundo sanguinem funderet. Et non dixit, dare animam suam redemptionem pro omnibus, sed *pro multis*, id est pro his qui credere voluerint. Quod cautissime doctor celeberrimus vidit de qualibuscunque fidelibus intelligendum, propter illud : *Peribit in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est, propter illud etiam : Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus (I Cor. iii).* Necnon et propter illud : *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui filium Dei conculcaverit, et sanguinem Testamenti pollutum duxerit in quo sanctificatus est? (Hebr. x.)* Et quæcunque similia scrutatores pii valent in divinis eloquiis invenire. Sensus Hieronymi Beda in explanatione Marci verbis ipsius ponit : « Nam et Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret. Nota, inquit, quod crebro diximus eum qui ministraret filium

mittere, vobis dantes exemplum ut nostra sectemini vestigia : qui cum in forma Dei essemus, non rapinam arbitrati sumus, sed nosmetipsos exinanivimus, formam assumentes servi. Quid igitur executionem immediatam in regnis temporalibus affectatis? Hæc affectio ex ambitione procedit. Ilanc potius ex humilitatis virtute debetis exemplo nostri cordialiter aspernari. Hi enim honores et divitiæ transeunt sicut umbra. » Ex vetustissimo codice nostro ms., unde fortassis ea epistola brevi prodibit in lucem. Exstat nunc in Bibliotheca olim Regia.

appellari hominis et dare animam suam redemptionem pro multis, quando formam servi accepit, ut pro mundo sanguinem funderet. Et non dixit, dare animam suam redemptionem pro omnibus, sed pro multis, id est, pro his qui credere voluerint. » Item Hieronymus edisserens illud psalmi (XLIII) : *Vendidisti populum tuum sine pretio* : « Usque nunc, inquit, de se locuti 273 sunt martyres, nunc de Judæorum populo dicunt, quibus dictum est : *In peccatis vestris venditi estis* ; et ideo *sine pretio*, quia non est effusus Agni sanguis pro eis. »

Sanctus Gregorius papa in Moralibus (*Lib. iv, c. 41*), exponens locum illum, *non computetur in diebus anni* (*Job XIII*), eundem sensum asserit his verbis. « Annum prædicationem supernæ gratiæ non inconvenienter accipimus : quia sicut in anno congestis diebus tempus perficitur, ita in superna gratia virtutum multiplex vita completur. Potest per annum etiam multitudo intelligi redemptorum : quia sicut ex dierum multitudine annus ducitur, ita ex collectione honorum omnium illa electorum innumerabilis universitas expletur. »

Nec mirandum duo clarissima lumina doctorum, beatum Augustinum et Hieronymum, et post illos Gregorium et Bedam, in hoc sensu inveniri, cum eorum doctrina ex evangelica pendeat auctoritate. In qua quidem apud (a) Matthæum sic invenitur : *Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (*Matth. xxvi*). Apud Marcum autem : *Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis fundetur* (*Marc. xiv*). Apud Lucam vero : *Hic est calix Novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*. Unde concordantes Lucæ, cum rem divinam agimus, in prece, hic est calix sanguinis mei Novi et æterni Testamenti mysterium fidei qui pro vobis, concinentes autem Matthæo et Marco addimus, *pro multis effundetur in remissionem pec-*

A *catorum.* (b) Joannes tamen Constantinopolitanus episcopus explanans locum illum Epistolæ ad Hebræos (*Hebr. II*), qualiter gratia Dei pro 274 omnibus gustaverit mortem : « Non pro fidelibus tantum, inquit, sed pro mundo universo, et ipse quidem pro omnibus mortuus est. Quid autem si non omnes credunt? Ille quod suum erat implevit. » Verum hanc intelligentiam divinis non roboravit eloquiis. (c) Faustus etiam quidam, ex abbate Lerinensi Regensis Galliæ episcopus, de his rebus, hoc est de prædestinatione et libero arbitrio et sanguinis Christi redemptione, longe diversa superioribus præcellentissimis auctoribus scripsit. Sed intelligentius inspecta divinorum eloquiorum integritas errandi occasionem penitus abstulit, et reverentissimus papa Gelasius cum septuaginta episcopis viris eruditissimis statuens qui scriptores essent vel non essent recipiendi, post approbationem Augustini et amplissimas laudes Hieronymi, memoratum Faustum ab auctoritate his verbis removit : *Opuscula Fausti Regensis Galli apocrypha*. Nos igitur incorruptum sanctarum Scripturarum sequentes intellectum, et (d) apostolicæ sedis gravitatem suscipientes, quid aliud dicamus nisi : Taceat Faustus et similiter sentientes ; loquantur cum suis consortibus Hieronymus et Augustinus. Scilicet illius proverbii recordantes : *Conticescant ranæ dum cælum tonat*. Atque ut hunc nostrum laborem fructuosum cæteris relinquamus illud semper memoria tenendum de reprobis monemus : *Qui elongant se a te, peribunt* ; de electis vero : *In omni gente qui timet Deum, et facit voluntatem ejus, acceptus est illi*. Et ut ab illis Dei gratia separati, istis eadem Dei gratia sociemur, assiduis precibus communiter implorandum. Nam qui parvulis regeneratis, moxque vita excedentibus, ineffabili pietate beatitudinem largitur, etiam eorum saluti benigne prospexit quibus perfecte in se sperare donavit.

Romana tamen speciali quodam modo dicta est apostolica, quod illam Petrus et Paulus, apostolorum videlicet principes, constituerint, et apud Roman Christi martyrio fuerint consecrati, ut diximus ad Vincentium Lirinensem. Quanta autem olim esset apostolicarum sedium dignitas et auctoritas pluribus, Deo dante, dicemus Ad Agobardum. (*Vide Patrol. tom. CIV.*)

(a) Apud Matthæum. Hæc trium evangelistarum loca refert etiam in epistola 127.

(b) Joannes Cp. Cognomento Chrysostomus. Eundem porro locum laudat Lupus in epistola 128, et in libro de tribus Quæstionibus, pag. 244.

(c) Faustus. Vide notas ad epistolam 112.

(d) Apostolicæ sedis. Id est, Romanæ. Quamvis enim omnes sedes episcopales dicerentur olim apostolicæ,

275 a VITA SANCTI MAXIMINI

EPISCOPI TREVIRENSIS

AUCTORE SANCTO LUPO

Lupus Waldoni suo salutem
Amicos honestis certare officiis, seque invicem

(a) Hanc Sancti Maximini, Trevirensis episcopi, vitam primus omnium edidit Surius. Assentior autem eruditissimo viro Joanni Gerardo Vossio, qui

D velle sinceris prævenire obsequiis, inter præcipua humanæ vitæ negotia non immerito deputatur. Quip-

Lupum abbatem Ferrariensem Vitæ istius auctorem esse putat. Valdonom autem, cui eam inscribit Lupus, haud alium esse reor quam Valdonom abba-